

clerus, ac christifideles omnes quae ex ea auspicantur adiumenta, capeseri possint¹. Ad rem:

1. Dum universa episcopali conditioni debita ac exsultationis filialisque amoris indicia Ordinario tribuuntur, attamen tum in solemnitatibus, tum in commoratione ac victu et si quid aliud, nil exquisitius Pastor exhibeat; quo, dum adulationis suspensionem a se arcebit, et misellum paroeciae patrimonium minime sauciatur. Haec, enim, omnia sacri adversantur canones, sacrosancta pauperum iura tuentes, in quorum utilitatem beneficii superflua impendere iubent.

2. In hac visitatione tam fideliter ac sollicite Parochus Episcopum coadiuvet, ut de his omnibus quae ad paroeciam pertinent, nil tectum, nil occultum ei sit. Matrimoniorum ac Baptismorum, igitur, regesta Episcopo exhibeat, neque alia temporalis administrationis ei abdat; christifidelium statum, quamvis semper prudenter, attamen perspicue pandat, ac in cunctis quae Ordinarius optaverit, promptum ac sollertem se exhibeat. Insuper, dum nemini ad Episcopum adeundum obstacula ipse ponit, e contrario, ut, quantum circumstantiae sinunt, complures ad Patrem Pastoremque appropinquent curabit. In re ialousia vel timore laborare idem esset ac uti culpabilem, [reprehensione dignum] se exhibere, ac discordiae infanda semina in grege serere, quo, potiusquam in paroeciae commune bonum, eius in detrimentum episcopalis visitatio verteret.

III. Tandem quoad scriptas cum Ordinario relationes si in omnibus diligentia utendum semper, id praesertim in officiali de paroeciae conditione relatione exaranda valet, in qua adeo fideliter ac exacte omnia exprimenda sunt, ut de eius statu certior fiat Episcopus. Idcirco paradygmatis omnibus quaestionibus respondendo, adeo dubia uti dubia, vera uti vera tradantur, ut nil fucatum, nil tectum, nil exaggeratum habeatur.

183. — Conclusionis ergo et de Pastoris cum Curia episcopali relationibus quaedam dicenda supersunt, quae, in ultima analysi, huc redeunt ut [par pari referendo] easdem quas cum Ordinario servare debet industrias, et eius cum Officialibus ipse servet, quod tamen in praxi adeo arduum ut et raro habeatur. Attamen, quantum intra Ordinarium eiusque Vicarium Generalem colludere, negocia callide versuteque exponere, dilucidationes ac documenta retardare, decisiones nimis urgere, ac Curiae Officiales, uti burocraticam rem colentes, minimi facere ac spernere

¹ Cfr. Trid. XXIV, 3. — Cfr. S. C. C. [7 mart. 1904] ubi complures sapientissimeque leges diocesum Visitoribus decernuntur.

et ita porro, Pastorem bonum dedeceat, adeo in comperto est ut de re plura verba facere sit vanum. Si vero hi, negotiorum mole onusti ac a burocratica consuetudine vexati, haud nimis urbani sint, nil in malam accipiendo partem, eorum necessitatibus conditionique fraterne compatiatur Pastor. Hos, enim, si inimicos sortiri semper ingratum, interdum et perniciosum valde.

§ III. — Quenam ratio cum Vicario Foraneo Pastori suadenda sit.

SUMMAE RERUM. — 184. Animadversiones praeviae. — 185. Canonicae in re normae quae sint. — 186. Pastoralia in re Parochi debita quae esse possint.

184. — Ad maiorem Parocho afferendam utilitatem, et quam rationem cum Vicario Foraneo servare ipse debeat, indigitare praestat. Vicarius, enim, Foraneus, cum ita ad Pastorem se habeat ut Metropolitanus ad Episcopum, eius canonicus Superior est, cui, igitur, subiectionis officia praestanda veniunt.

185. — Heic quoque praecedant canones¹, ex quorum notitia quae in re Pastor praestare tenetur, indirecte saltem, evincitur. Igitur:

I. Antiquis ruralibus decanis², Vicarii Foranei³ hodie succedunt qui, in certa quadam parte diocesis, ampliorem ab Episcopo delegatam iurisdictionem, in determinatis aliquibus maioris momenti negotiis exercendam, obtinent. — Horum in dioecesi constitutio, quamvis sacri haud iubeant canones, attamen eos statuere iuris intentioni quam maxime consentaneum censi debet⁴.

II. Vicariorum Foraneorum auctoritas, utpote delegata, ab arbitrio et commissione Episcopi pendet, qui, peculiaribus in adiunctis, de re in Synodo statuit. Communiter vero ipsi conceditur, vel committitur⁵:

a) potestas dispensandi et absolvendi in quibusdam urgentioribus circumstantiis a Synodo definitis;

b) officium instituendi inquisitiones et processus informativos, deinde ad Curiam episcopalem transmittendos;

c) curam invigilandi, modo tamen oeconomico et paterno, super omnibus quae ad vitam et honestatem clericorum sui Vicariatus, vel ad exercitium sacri ministerii, aut cultus celebrationem spectant;

d) ubi contingeret paroeciam subito vacare, potestas ordinandi quae immediate ad curam animarum necessaria sunt;

¹ Cfr. DD. cit.

² Cfr. Thomass. *Antiq. et nov. Eccles. discipl.* t. I, l. 2, c. 1-2; Hardouin, *Collect. Concilior.* t. V, col. 1417; Benedict, XIV, *Synod.* III, III, 6.

³ Clemens, II, *De Rescriptis*; Bene-

dict. XIV, *Synod.* loc. cit. 5; Bouix, *De Judiciis* p. II, sect. 2, c. 9.

⁴ S. C. C. 12 dec. 1891. — Cfr. S. C. EE. et Reg. 27 mart. 1590, et 2 jun. 1592.

⁵ Ex pluribus S. C. Episcop. et RR. decisionibus excerpta.

e) munus visitandi, in certis quibusdam circumstantiis [generaliter, aut pro casu peculiari] ab Episcopo determinatis, paroecias sui Vicariatus, necnon satagendi ut ubique Ecclesiae et Episcopi leges ac mandata serventur;

f) generalis obligatio monendi Episcopum de his quae, pro cleri utilitate ac spirituali fidelium bono, sibi videantur referenda;

g) facultas concedendi licentiam ut sui Vicariatus Parochi, modico tempore, a paroecia absint;

h) tum capiendae novae paroeciae possessionis solemnitatibus, tum defuncti Parochi funeribus praeesse, necnon providere ut, aegrotante Parocho, per se ipsum, vel per alios, extrema sacramenta administrantur.

186. — Ex his omnibus quae summatim recolimus, tum canonica, tum moralis Vicarii Foranei in Pastore potestas ac condicio evidenter patet, cui erga ipsum peculiaria Parochi officia respondent, quae in reverentia, obedientia ac in peculiari deferentia ac adiumento indigitari possunt. Eius, igitur, iura reverentur Pastor; primus eius consiliarius ipse sit, admonitiones [quas interdum et expetere iuvabit] ab eo humiliter suscipiat, et si quando pastorali in ministerio ipsum adiuvare liceat, dummodo gratum futurum praevi-deat, sponte utroque, absque tamen sui gregis detrimento, ei impendat operam. Coetera de relationibus cum limitrophis Parochis agentes, oportunius mox recolemus.

§ IV. — De Boni Pastoris cum Laicalibus Potestatibus relatione, et ad rem normae generales.

SUMMAE RERUM. — 187. Animadversiones praeviae. — 188. Quaedam in re prudentialia adiumenta suadentur. — 189. Quaedam magni momenti animadversio. — 190. Concreta praxis quae. — 191. Quomodo cum pagi decurione [Sindaco, maire] cum eius a secretis [Segretario, secrétaire], ac cum municipii consiliariis se gerere Pastor possit. — 192. In temporali pagi administratione quae ab eo praestenda cavendaque sint. — 193. In administrativa Consiliariorum et Deputatorum electione quomodo Pastor se habere debeat.

187. — Tandem, ad praesens absolvendum argumentum, de his quae sive cum Status, sive cum Municipii Magistratibus a Pastore gerendae sunt relationibus, quaedam addere pernecessarium. Horum, enim, auctoritas, quum ad universae societatis bonum tendat, ab omnibus [ordinaria ratione] revereri debet, docente Apostolo: *obedite Praepositis vestris etiam dyscolis*¹. At quoniam dies in quos incidimus

¹ Ad Hebraeos, XIII; 17. — Cfr. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei*, cit.

mali sunt, in quibus tyrannica potestas Status, Ecclesiae sacrosanctae libertatis iura proculcat, huiusmodi relationes omnibus ecclesiasticis viris ac Pastoribus praesertim admodum asperae fiunt.

188. — Quamobrem definitas ad rem praescribere normas arduum sane negotium, quod, ut perficiamus, haud incongrue per partes ita distinguimus:

a) Ubi laica Potestas veluti apertum indictumque bellum adversus gerit Ecclesiam, obligationibus ac periculis plena Pastorum condicio est. Tunc vero quaelibet cum civili auctoritate familiaritas devitanda: cum suorum, etenim, Parentum hostibus amice conversari cuique nefas. Ad rem quam S. Sedem sequitur viam inire, tutum consilium est. — Sedulo tamen curandum ne civiles Auctoritates omnes, ac eo minus eorum personae qui tali auctoritate funguntur, tamquam hostes habeantur: non, enim, occasionem aut praetextum magis saevienti persecutoribus praebere debemus; immo [maxima cum prudentia] ne eadem obstacula et impedimenta, quae cito dissolvi nata sunt, asperitate, redantur perpetua, satagendum est.

b) Ubi civilis Potestas Ecclesiam erga indifferenter [?] se habeat, nec in eam hostiliter [aperto] invehit, aequa librata lance propriam inire viam oportet; quae rerum condicio utilia exhibet opportune capere, noxia ac perniciose prudenter devitare, humana perhumaniter habere; nec dictis, nec gestis quidquam admittere quo in apertum adversarium, indifferens spectator commutetur. Attamen rei bene vigilare oportet, quum, saepe numero, affectata haec indifferencia, genuinam hostilitatem abscondat: tranquillitas, enim, haec, haud raro, tempestas est, et Servatoris Nostri illud: *qui non est mecum, contra me est*¹, saepe heic quoque locum obtinet.

c) Ubi civilis Potestas amico cum ecclesiastica iungitur foedere, omnes hae artes quibus huiusmodi harmonia servatur ac etiam, in Ecclesiae civitatisque incrementum, augeatur adhibendae sunt, quas locorum consuetudines vel praescribunt, vel permittunt. Prout, enim, ex discordia utraque societas facile dilabatur, ita ex concordia utraque firmatur, roboratur, atque, incredibili fructu, laetantur². Ceterum *Ecclesiam a Statu, statumque ab Ecclesia seiungendum esse*³ pretextentes longe aberrant.

¹ Math., XII, 30.

² Cfr. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei* cit.

³ Cfr. Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei* cit., *Libertas praestantissimum*; Ivis Carnutensis, epist. 278 ad Pasch. II Pontific.

d) Semper vero ac omnibus in rerum adiunctis Pastoris officium haec iubet:

I) Civiles leges quae, maiore vel cum minore iustitia, ecclesiasticas institutiones et personas sacras respiciunt ac moderantur¹ Pastor probe perspectas habeat, ac, prout conscientia suaserit, fideliter observet. Secus, enim, insectationibus in se iniustis, attamen ex legis littera aut publica opinione praescriptis, praeberetur occasio. Ac etiam si Magistratus opportunas notitias aut dilucidationes exhibendas postulaverint, haud aegre ac suspiciose mos geratur: haud raro haec legitime postulata, nec fallendi intentione prolata sunt.

II) In huiusmodi relationibus magna prudentia ac caritate, tum in verbis, tum in scriptis, tum in gestis opus est. In quibus inculcandis, cum generalis ac fere quotidiana sit res, haud immorari oportet.

III) Laicalibus Potestatibus ne utatur, nec, multo minus, adeo abutatur [nec ad bonum quodcumque obtinendum] ut necessaria agendi libertate Pastor destituatur, in quo negotio nulla nimia prudentia, circumspectio ac parcitas.

189. — Potissimum ac efficacissimum consilium ad aequam servandam harmoniam Pastori indicit ne in publicis contentionibus, scripto ac opere, sese immisceat, politicis factionibus inserviens. Quantum haec tricarum negotia pastorem dedeant professionem, apostolatus disperdant fructum, ecclesiastica Instituta ac personas ad interitum pertrahant, nunquam sane dicitur. Ecclesiastici, etenim, viri ea qua imbuti sunt institutione, quam professi sunt vocatione, quam ducunt vita, ad huiusmodi apertas ac publicas contentiones omnino inexperti, omnino inepti, earumque superandis periculis omnino impares censendi sunt. — De sententia autem rogatus Pastor, conscientiae officio in primis satisfaciatur, attamen adeo prudenter ut se huiusmodi factiones non alieno prorsus spectare animum, sed tantum magis caute et versute in abscondito agere, suspicionem ne ingerat.

190. — In harum rerum concreta praxi tanquam tutam normam Ordinarii instructiones Pastor sequatur, qui in illis praescribendis, non solum quae locorum consuetudines aut temporum opportunitatem spectant, sed potissimum S. Sedis normam vel aperte praescriptam, vel

¹ Pro Italia cfr. *Codice ecclesiastico*, Firenze 1893; Giovanelli, *Manuale dei Parroci e Beneficiari*, Milano 1902; Calchi e Novati, *Il diritto ecclesiastico dello Stato italiano*, Milano 1903; Rivarolo, *Il Governo della Parrocchia*, Vercelli 1875; Bertolotti, *Il Parroco italiano*, Savona 1910, ecc.

prudenter implicite suggestam, prae oculis habeat. Nam in primis huiusmodi relationes et iure naturali, et lege morali, et sacrorum canonum praescripto fundari debent, quorum omnium custos et interpretes a Deo una data est Ecclesia, a qua una, igitur, et recta ratio normam desumendam indicat. Ceterum, certa quam de Pastoris erga Apostolicam Sedem fidelitate deque eius in fidelium regimine spectata intimo corde fovemus opinio, nos ad rem plura effari non sinit, neque prolixo sermone lugubria illa reddere, quantum et Ecclesiae et paroeciae, et christianae observantiae ac aedificationi officeret, quantum demum in se exitii contineret si, ad fucatae quamdam magnanimitatis [*condescendence*] gloriolam aucupandam, revera Ecclesiae hostibus, indulgeret Pastor eorumque partes magisquam ab Ecclesia praestitutam viam, iniisse videretur. Quidquid, enim, tum moralis, tum temporalis commodi utilitatisque ex tali agendi ratione sentiret paroecia, in immensam fere excederet spiritualis ruinae occasionem: sacra fidelitatis dilectionisque violasse ac perfregisse vincula, quibus paroecia Ecclesiae, tamquam Matri filia, tamquam Patronae beneficentissimae alumna devinciebatur. — At quidem si argumenti ipsa indoles plura nos verba facere non sinit, [ubi Pastoris prudentia et experientia meliora etiam hisce nostris docere possunt] attamen moniti gravitas neminem profecto fugiet. Neque eiusdem moniti opportunitas cuicumque dubia esse potest: siquidem hisce quibus vivimus temporibus, haud semel tenebrarum angelus in lucis angelum transfiguratur, falsique nomine zeli, prudentiam saeculi abominandam pro coelesti sapientia insinuare nititur; atque plures [praesertim in re politica] a recto tramite iam seductos deflectere potuit. Quorum casus si in laicis hominibus dolendi ac deplorandi, quanto etiam magis in electa Ecclesiae Sanctae militia! Ac propterea sacerdotibus Pastoribusque tum in se, tum suis in coadjutoribus summo opere rei advigilandum, summo opere et cavendum. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*¹

191. — Quamvis omnia quae alibi² ac heic in re generaliter monuimus ad generalem Pastoris boni instructionem sufficiant, attamen, ad peculiare illi afferendum adiumentum, quaedam peculiariora, ad praxim attinentia, recolere opportunum ducimus, quae huc redeunt:

a) Apostolo dicente: *Obedite Praepositis vestris etiam dyscolis, et subiaccete eis*,³ externa civilium legum observantia, juxta conscientiam, curanda, nec ullo modo, ullaque ratione, ad eas postha-

¹ I Corinth. X, 12.

² Cfr. pag. 64.

³ Hebr. XIII, 17.

bendas neminem Parochus incitare audeat. Lex enim, quamvis iniusta, lex semper est, et, donec a legitimo Superiore non abrogetur, illius spre- tum, etsi ad bonum assequendum, suadere, [nisi in conflictu legis di- vinae] omnino illicitum, et paroeciae ac Parochi personae regimi- nisque, nunc ac postea quam maxime periculosum.

b) Cum pagi, vel civitatis decurione [*maire, sindaco*] si perditus homo, ne eius auctoritas in maius paroeciae detrimentum vertatur, urbane semper agendum et quaecumque contra illum adversitas publica quam maxime devitanda. — Si, e contrario, indifferens in re- ligiosis, sed naturaliter honeste se habeat, eius benevolentia captetur, eius- que bonae naturae inclinatio foveatur; quo, dum Pastoris rectitudinem ac mortificatam vitam ille percipit, et ad eum venerandum et forsitan, quando licet, eique obsequendum, sensim sine sensu, trahetur. — Tandem si decurio bonus sit catholicus, privatim amice habendus, quin tamen hanc cum ipso Parochi consuetudinem, adversariorum factio, ac si ille in Parochi manibus civile suum munus abdicasset, calumniari valeat. Ad tem- porale, ac praesertim et in primis, spirituale plebis adiumentum obti- nendum amico foedere cum eo devinciatur Parochus, qui tamen pu- blice ac in communi pagi aede [*palais de la ville, Gemeindehaus*] cum eo haud saepe nimis conveniat.

c) De eo vero qui in re administrativa pagi decurio- nis a secretis [*segretario, secretaire*] est, eius peculiares condiciones spectandae. Persaepe, enim, quae cum decurione haud agi possunt, cum secretario facile conficiuntur. Qua in re, tamen, adeo prudenter agendum ut nullum a malo decurione detrimentum iste patiat.

d) Cum coeteris civilis administrationis Magistrati- bus ac Officialibus [uti qui iustitiam, medicam artem, et coetera publica munia in pago exercent] Pastoris relationes a circumstantiis dependent. Generatim cum eis urbanitatis normae semper colendae, quin sacerdotalis posthabeatur dignitas, neve confidenter nimis cum ipsis utatur, quo Pastoris persona ac opera facillime in lamentabile addu- ceretur discrimen. — Praesertim vero cum medicae artis curatore haec omnia servanda, ut tum secreto parentibus, tum [si opus est] Parocho morbi gravitatem indigitando, postrema nostrae salutis Sacramenta in tempore, in mortis agone constituti fideles suscipere valeant. In- terdum, enim, medici vox in ipsis ac eorum Parentibus, aequae vel etiam magis ac Pastoris suasiones efficax.

192. — In temporalis pagi administratione perquam pru- dentissime et necessitatis vel compertae ac generalis gregis utilitatis causa tantum sese indirecte immisceat Pastor. De re,

enim, plena periculis agitur, in qua imprudens agendi ratio, non tantum eius personam, sed et eius quoque spiritualem operam, nunquam delenda labe, funditus penitusque inurit. Quae, enim, cuique civi licita sacerdotibus prohibentur; quaedam his concessa, Pastoribus prorsus negantur. In his, igitur, quae a pagi decurionibus in temporalibus decernenda sint, tunc tantum indirecte sese ingerat Pastor, cum spirituale gregis bonum ea comitantur, vel in hoc certe influere possunt. Tunc quoque, potiusquam iussiones ac minas, suasiones argumentaque adhibeat, nec nimis urgeat neque quidquam promat, vel dicat ex quo proprium, potiusquam fidelium bonum, tueri ipse videatur. Ab hac, enim, in admi- nistrationis temporalis negotia ingerentia [iterum recolimus] discordias, coniurationes, delationes, insanabiles gregis inimicitias, immo et Parochi a sua ditione dimissiones saepe oriri, communis ac numquam satis lugenda experientia amplissime docet... Animas, igitur, in primis et ante omnia curabis, cetera vero [personarum ac locorum bene attentis circumstantiis] tunc tantum, cum materiale eorum bonum spirituale attingat, et tunc quoque parce, secreto, urbanissime et in omnibus prudentissime. Enimvero, memineris, super cinere doloso incedis!

193. — Quoad pagi Consiliariorum, vel, Deputatorum electionem, quum haec in spirituali paroeciae ac provinciae bonum quam maxime influere possit, peculiares Pastoris curas exigit, quae tamen et ipsa plena periculi est. Igitur:

a) Quoad pagi consiliariorum electionem si: a) tua in paroecia probi revera homines qui, omnibus in adiunctis, hoc munus rite exercere valeant, habeantur: b) si paroeciae comitatum inibi habeas, a quo, ex tempore, electores instruantur, educantur ac, unita vi, congregiantur, quum tunc tantum victoriae arri- deat spes, indirecte, per alios bene tibi cognitos, rationibus ac in- dustriis adversariis minime ac nullo modo offensivis adhibitis, certo quodam modo influere potes. Si vero quaedam ex his desiderentur conditiones, quum cladem pertimescenda rationabiliter sit, tunc Horeb ascendendo montem, ut quae tibi minime decent, Deus perficiat, ipsi preces funde. — Omnibus vero in adiunctis, quantum in canonica domo electionis comitatum resideri, tribunicias hinc inde haberi declamationes, electores venare et ad urnas conducere, ac inibi scrutatoris partem habere, non tantum Parochum, sed universum clerum dedeceat, adeo omnibus in comperto ut quisque sapit, haec omnia sedulo devitabit.

b) Tandem in Deputatorum electionibus, ut brevius ac ex- pressius dicamus, Ordinarii mentem adamussim exsequatur Parochus, et tunc quoque quae pro pagi consiliariorum electione recolimus, multo

magis heic observanda, ne pergravissimas spirituales ruinas sibi gregique dominico, in] tempore obventuras, imprudentissime comparet. Nominatim Italis in regionibus Deputatorum electiones conditionate tantum licitas esse, Pastores meminerint¹, de quo peculiari in casu sententiam ferre [S. Sedis toties quoties permittente] Episcopi est, cui, heic quoque, in omnibus ac adamussim parere quam maxime necessarium. Coeterorum, igitur omnium suggestionibus, haud parendum, nec nimis facile fides praestanda... Nil, enim, politica arte, mendacius ac infidum magis!

Articulus II.

DE BONI PASTORIS CUM AEQUALIBUS ECCLESIASTICIS RELATIONIBUS.

§ I. — Quae Pastoris cum comparrocis conterminis, et clero diocesano relationes esse possint.

SUMMAE RERUM. — 194. Animadversiones praeviae — 195. Quaedam ad rem peculiares industriae recoluntur. — 196. Quae erga clerum dioecesanum omnem a bono Pastore servanda sint.

194. — Quamvis hae Boni Pastoris relationes, sua ex natura, in comperto sint, attamen ad maiorem ipsi afferendam utilitatem, peculiaria quaedam innuere praestabit, a quibus tum caritatis tutamen, tum christiani gregis aedificatio quam maxime pendent.

195. — Quoad Pastoris cum conterminis Parochis fovendas relationes attinet, quantum intersit ut, opportuna ratione, habeantur, in comperto est, quod ut feratur, in iis ineundis ac magis magisque firmandis, sequentes normae prae oculis habeantur:

a) Servetur concordia, quae non modo in amicitiae ac fraternae caritatis officiis, sed etiam, et quam maxime, per sententiarum ac pastoralis praxis unitatem resplendet. *Quare omnes Summi sacerdotis ministros in Domino deprecamur ut sese, caritate inviolata mutuaque dilectione invicem prosequantur, unamque tum mente, tum corde familiam constituent, memores verborum Apostoli: Caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes² Sedulo devitent invidios illos sermones quibus, praesertim coram laicis, fama et existimatio fratrum, eiusdem ministerii consortium laeditur³. Ad hanc vero concor-*

¹ SS. P. N. Pius PP. X Encycl. *Il fermo roposito*, 12 jun 1905.

² *Roman.* X, 20.

³ Concil. Plen. Quebec, I, n. 217.

diam tutandam necesse omnino est ut in alterius paroeciae rebus nullo modo sese immisceat Pastor; quod non tantum operibus, sed praesertim et lingua devitandum. Conterminorum, igitur, Parochorum agendi modum nec cum suis, nec cum alienis fidelibus ullo modo ullaque ratione carpat, sed quae bona sunt laudet ac imitetur, quae vero minus recta videantur excuset ac, caritatis amiculo, velet.

b) In conterminos Parochos invidia ne abripi se sinat Pastor, quae, ut plurimum, ex praebendae abundantia, ex suorum fidelium pro sacris functionibus ac confessionibus ad ipsos commeaione, in actionis popularis activitate et ita porro, enasci consuevit, et tanta caritati aedificationique impedimenta [interdum praevalida] parat.

c) In quantum, absque proprii gregis detrimento, fieri potest, in sacris functionibus peragendis libenter, sollicite ad invicem ac gratis opem ferant.

d) Consuetudinem ad invicem foveant Pastores, et si contermini Parochi, interdum, ad pastoralis regiminis simul conferenda negocia, conveniant, peroptimum erit. Attamen ab his coeterisque conventibus laici omnes ac praesertim ancillae absint omnino, ac non tantum de rebus temporalibus, sed et praesertim, de spiritualibus [utpote, de recta paroeciae regendae ratione, de abusibus tollendis, de piis introducendis exercitiis, de reliquis ad fidelium suorum salutem spectantibus] sermones instituere oportet, quo tantum genuinae animarum saluti apte consulitur.

e) Conferentiae inter eiusdem plebanatus clericos [ad moralium, liturgicorum ac theologiae dogmaticae casuum solutionem] ab Episcopo statuae, ad hoc facilem occasionem praestabunt, et ex his necesse est ut omnes genuinum capessant adiumentum. Non, igitur, perfunctorie, sed sollerter, sub Vicarii Foranei praesidentia habendae, qui de eis Ordinarium certiore facere iubetur. — In his vero omnibus adiunctis, indulgere epulis, conferentias in detractionum academias [in quibus Ordinarii confratrumque acta, personae et, forsan, intentiones carpuntur] immutare, clamoribus, iocis ac cantilenis indulgere, loquacitati adeo inservire ut et sacramentalis sigilli fines [perquam periculose] attingantur, et ita porro, quantum dedeceat noceatque, adeo in comperto est ut haec omnia innuisse sit satis.

f) Conterminos inter Parochos, quendam aetate ac experientia gravem, et prudentia sanctitateque insignem, non tantum in confessarium, sed et in admonitorem eligat Pastor, qui non solum placentia, sed et displicentia eius ex labiis libenter humiliterque suscipiet. Coeterum, fraternae emendationis officium sese inter [in quantum circumstantiae